Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3173
Quelle:
Copyright:

beralitate uti, que amicis prosit, et nemini obsit, benignum esse pauperibus, consiliariis, ministris, ac officialibus iuxta eorum merita prouidere, seruare pacta, soluere debita, non nisi iustum bellum admittere, admissum prudenter exercere. Haec quidem *fol.* 18. p. 2. At *fol.* 43. p. 2. *Concede mihi gratiam bonos et fideles consiliarios eligendi atque prudentes; bonos quidem, qui in conspectu tuo sint accepti, quibus, quod bonum est in oculis tuis, placeat reuelare; quomodo enim utiles erunt aliene cause, qui inutiles sunt sue vite? Qui sibi nequam est, cui bonus erit? Fideles, qui decipere non velint, et prudentes, qui decipi non possint.* &c. Quis Principem, qui haec vere sentiat, non hodiernis omnibus τῆς Φιλοσοφίας καὶ κενῆς Ἀπάτης moliminibus praeferet? — *Fol.* 48. Contemplatio rhythmica Mortis, cujus initium:

O vos omnes qui transitis
Figuram hanc inspicite.
Vigilantes deo sitis
Et mundum hunc despicite &c.

Praeit enim Icon Cadaveris super stoream extenti. Inter commemorationes variorum Coelitum, quarum una *fol.* 30. p. 2. de D. *Maximiliano*, ei, quae *fol.* 61. de D. *Sebastiano* habetur, praefixa est Imago *Maximiliani* juvenis habitu regio genibus ante Martyrem hunc adstantem armatum positis, Scutoque *Austriaco Burgundico* ex arbore pendulo. Finem *Codici* faciunt Psalmi *de Poenitentia* cum Litaniis SS. OO. Preces lingua *Belgica* passim insertae alium Scriptorem prodere videntur, qui calci addidit:

Der herten noot: es naerst den doot.
Bid voor den scriuere.
Zelden tyt: sonder nyt.

DCCCCXL.

955 Codex membraneus lat. gall. Sec. XV. Folior. 22. in 8. quidem, sed theca ad altitudinem integri folii supra adsurgente, dumque *Codex* aperitur, utraque pagina interiore velut arae speciem exhibente, quarum dextra Deum Patrem et B. V. *Mariam Christo* de cruce pendenti, sinistra *Mariam* Filio adsidentem sat mediocri pictura sistit, commode scriptus, auro, coloribusque varius, Iconibusque III. majoribus ornatus Exercitia Pietatis continet servientia olim *Philippo* dicto *Bono*, ejusque filio *Carolo* dicto *Audaci*, et postea ab hujus filia *Maria* priore *Maximiliani* I. Imp. Conjuge in *Austriam* delata. Adserti hujus rationem praebent Icones memoratae. In prima etenim *Codici* praefixa visuntur Principes duo aetate differentes, aurei Velleris torque insignes, genuflexi, precan-